

Calixt III. an NvK als apostolischen Legaten für das Königreich England. Er beauftragt ihn als Voraussetzung des Krieges gegen die Türken mit der Friedensstiftung in allen Gebieten, durch welche ihn seine Legationsreise führen werde, und erteilt entsprechende Vollmachten.

Kopie (gleichzeitig): ROM, Arch. Vat., Reg. Vat. 438 f. 189^{rv}. Links am Rand: Blondus.

Regest: Pitz, RG VII 247 Nr. 2195.

Druck: Baronius u.a., Annales ecclesiastici XXIX 35f. Nr. 27.

Erm.: Vansteenberghe, Le cardinal 231; Tremloz, Calendar of Papal Registers XI 20; Meuthen, Die universalpolitischen Ideen 206 Anm. 64; Sciambra u.a., Liber brevium 101 Anm. 20; Lunt, Financial relations 141, 183; Setton, Papacy II 165; Weber, Lutter contre les turcs 198.

Calisto etc. Dilecto filio Nicholao tituli sancti Petri ad vincula presbitero sancte Romane ecclesie cardinali, ad regnum Anglie nostro et sedis apostolice legato de latere salutem etc. Redemptoris et domini nostri Ihesu Christi, in cuius ortu chorus Angelorum gloriam in altissimis deo et in terra pacem bone voluntatis¹⁾ hominibus nunciavit et qui de mundo transiturus ad patrem discipulis suis tanquam bonum hereditarium unitatem reliquit et pacem vices in terris, quamvis immerito gerentes, licet pro debito pastoralis officii pacem et unitatem in universo populo christiano affectemus, tamen ad pacem et tranquillitatem earum parcium eo diligentius intendere cogimur, ex quarum discordiis et disencionibus maiora et graviora possent bellorum discrimina provenire.

Cum itaque tuam circumspectionem pro querendis implorandisque auxiliis adversus impi(i)ssimos christiani nominis hostes Turcos, qui, occupata insigni Constantinopolitana urbe et multo cruore humano in ea interque alios imperatorio miserabiliter effuso, universum quoque nomen christianum sunt deleturos elatis mirum in modum verbis comminantur, ad regnum Anglie transmittimus per diversas tamen provincias transiturum nonnullisque in locis et regno predictis dissensiones et bella vigere intellexerimus, quibus perseverantibus atque vigentibus nec reges nec prelati nec principes nec populi, licet cupientissimi essent, tuis consiliis, exhortacionibus ac monicionibus satisfacere possent nec petita auxilia subministrare ad ipsam in primis tam necessariam anhelantem pacem et de tuis sapientie prudentieque magnitudine industrie, claritate, rerum agendarum experientia viteque integritate ac aliis multiplicibus virtutum donis, quibus personam tuam altissimus insignivit, gerentes in domino fiduciam specialem ac sperantes, quod per tui consilii magnitudinem dissensiones et discordie huiusmodi ad pacis dulcedinem deducuntur, tibi reges et subditos eorum parcium quarumcumque, per quas ibis aut in quibus legacione fungeris, ac circumvicinis et undique adiacentibus nostro nomine ad pacem et mutuam concordiam hortandi, monendi et requirendi ac huius discordias et dissensiones penitus tollendi et removendi et super ipsis amicabiliter iudicandi, terminandi, accidendi, paciscendi ac componendi pacem, quoque ipsam et concordiam seu treugas, si pax fieri non poterit, perpetuo vel ad tempus, de quo tibi videbitur, tractandi, firmandi et concludendi ac pro ipsarum pacis et treugarum conclusione firme, inviolabiliter observanda ea, que tibi visa fuerint, nostro et ecclesie Romane nomine promittendi ac insuper nos et ecclesiam ipsam, prout tue prudentie videbitur necessarium, obligandi necnon pro observanda huiusmodi pace seu treugis securitates quascumque opportunas et necessarias utrinque prestandas per viam compromissi vel alias tractandi, firmandi, prestandi et concludendi pacta insuper et capitula huiusmodi pacis et treugarum firmitatem et securitatem continencia ordinandi, faciendi, concludendi et decidendi ac pacem vel treugas deo propicio concludendas, postquam firmate fuerint et capitula huiusmodi sub censuris et penis, de quibus tibi visum fuerit, per ipsos reges et subditos observari, mandandi et statuendi ac omnia alia et singula faciendi, gerendi et exercendi, que pro huiusmodi pace vel treugis componendis ac earum stabilitate et securitate necessaria videris seu etiam oportuna, concedentes auctoritate apostolica harum serie plenariam facultatem et etiam potestatem.

Nos enim obligationes, pacta et federa quecumque, que pro pace et treugis huiusmodi consequendis earumque firmitate et securitate facienda duxeris ordinanda, firmanda seu etiam statuenda, rata et grata habebimus eaque faciemus auctore domino inviolabiliter observari. Datum Rome apud sanctum Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto duodecimo kal. octobris pontificatus nostri anno primo.

2 legato: *nach gestr.* nuncio. 3 cuius: *folgt gestr.* orthu. 32 observari: *korr. aus* observandi.

De curia
S. Crusiliati²⁾

¹⁾ *Vgl. Lk. 2,14.*

²⁾ *Stephannus Crusiliati, päpstlicher Kanzleischreiber; s. Pitz, Supplichenregistratur 171.*